

**Tekst 1***Kritiek op Seneca en zijn reactie daarop*

1 Si quis itaque ex istis qui philosophiam conlatrant quod solent dixerit:  
2 'Quare ergo tu fortius loqueris quam vivis? Quare et superiori verba  
3 summittis et pecuniam necessarium tibi instrumentum existimas et damno  
4 moveris et lacrimas audita coniugis aut amici morte demittis et respicis  
5 famam et malignis sermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi est quam  
6 naturalis usus desiderat? Cur non ad praescriptum tuum cenas? Cur tibi  
7 nitidior supellex est? Cur apud te vinum aetate tua vetustius bibitur? Cur  
8 aurum disponitur? Cur arbores nihil praeter umbram daturae conseruntur?  
9 Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit? Quare  
10 paedagogium pretiosa veste succingitur? Quare ars est apud te ministrare  
11 nec temere et ut libet conlocatur argentum sed perite struitur et est  
12 aliquis scindendi obsonii magister?' Adice, si vis: 'Cur trans mare  
13 possides? Cur plura quam nosti? <Cur> turpiter aut tam negligens es ut  
14 non noveris pauculos servos aut tam luxuriosus ut plures habeas quam  
15 quorum notitiae memoria sufficiat?' Aduvabo postmodo convicia et plura  
16 mihi quam putas obiciam, nunc hoc respondeo tibi: non sum sapiens et,  
17 ut malivolentiam tuam pascam, nec ero. Exige itaque a me, non ut  
18 optimis par sim, sed ut malis melior: hoc mihi satis est, cotidie aliquid ex  
19 vitiis meis demere et errores meos obiurgare. Non perveni ad sanitatem,  
20 ne perveniam quidem; delenimenta magis quam remedia podagrae meae  
21 compono, contentus si rarius accedit et si minus verminatur: vestris  
22 quidem pedibus comparatus, debiles, cursor sum. Haec non pro me loquor  
23 — ego enim in alto vitiorum omnium sum — sed pro illo cui aliquid acti  
24 est. 'Aliter' inquis 'loqueris, aliter vivis.' Hoc, malignissima capita et  
25 optimo cuique inimicissima, Platoni obiectum est, obiectum Epicuro,  
26 obiectum Zenoni; omnes enim isti dicebant non quemadmodum ipsi  
27 viverent, sed quemadmodum esset <et> ipsis vivendum. De virtute, non  
28 de me loquor, et cum vitiis convicium facio, in primis meis facio: cum  
29 potuero, vivam quomodo oportet. Nec malignitas me ista multo veneno  
30 tincta deterrebit ab optimis; ne virus quidem istud quo alios spargitis, quo

31 vos necatis, me inpediet quominus perseverem laudare vitam non quam  
32 ago sed quam agendam scio, quominus virtutem adorem et ex intervallo  
33 ingenti reptabundus sequar. Expectabo scilicet ut quicumque malivolentiae  
34 inviolatum sit, cui sacer nec Rutilius fuit nec Cato? Curet aliquis an istis  
35 nimis dives videatur quibus Demetrius Cynicus parum pauper est? Virum  
36 acerrimum et contra omnia naturae desideria pugnantem, hoc  
37 pauperiorem quam ceteros Cynicos quod, cum sibi interdixerint habere,  
38 interdixit et poscere, negant satis egere. Vides enim: non virtutis  
39 scientiam sed egestatis professus est.

*Seneca, De vita beata 17-18*

## Tekst 2

---

*Dionysius, tiran van Syracuse*

1 Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum  
2 quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset. Qua  
3 pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam servitute oppressam  
4 tenuit civitatem! Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum  
5 accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam in rebusque  
6 gerendis virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et  
7 iniustum; ex quo omnibus bene veritatem intuentibus videri necesse est  
8 miserrimum. Ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, cum omnia  
9 se posse censebat, consequabatur.  
10 Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus — etsi id quidem  
11 alius alio modo tradidit — abundaretque et aequalium familiaritatibus et  
12 consuetudine propinquorum, haberet etiam more Graeciae quosdam  
13 adolescentes amore coniunctos, credebat eorum nemini, sed eis quos ex  
14 familiis locupletium servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse  
15 detraxerat, et quibusdam convenis et feris barbaris corporis custodiam  
16 committebat. Ita propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem  
17 quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam ne tonsori collum  
18 committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido ancillarique artificio  
19 regiae virgines ut tonstriculae tondebant barbam et capillum patris. Et

20 tamen ab eis ipsis, cum iam essent adultae, ferrum removit instituitque,  
21 ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent.  
22 Cumque duas uxores haberet, Aristomachen civem suam, Doridem autem  
23 Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur et  
24 perscrutaretur ante. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset  
25 eiusque fossae transitum ponticulo ligneo coniunxisset, eum ipsum, cum  
26 forem cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque cum in communibus  
27 suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat.  
28 Atque is cum pila ludere vellet — studiose enim id factitabat — tunicamque  
29 poneret, adolescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic cum  
30 quidam familiaris iocans dixisset: 'Huic quidem certe vitam tuam  
31 committis' adrisissetque adolescens, utrumque iussit interfici, alterum,  
32 quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia dictum id risu  
33 adprobavisset. Atque eo facto sic doluit, nihil ut tulerit gravius in vita;  
34 quem enim vehementer amarat, occiderat. Sic distrahuntur in contrarias  
35 partes impotentium cupiditates. Cum huic obsecutus sis illi est  
36 repugnandum.

*Cicero, Tusculanae disputationes 5.57-60*

### Tekst 3

*In onderstaande tekst laat Cicero iemand vertellen over de tempelplunderingen die Dionysius, tiran van de stad Syracuse (op Sicilië), overal in de Griekse wereld uitvoerde, zonder dat hij bang was daarvoor gestraft te worden door de goden.*

1 Dionysius, de quo ante dixi, cum fanum Proserpinae Locris expilavisset,  
2 navigabat Syracusas. Isque, cum secundissimo vento cursum teneret,  
3 ridens 'Videtisne', inquit, 'amici, quam bona a deis immortalibus navigatio  
4 sacrilegis detur?' Atque homo acutus, cum bene planeque percepisset, in  
5 eadem sententia perseverabat. Qui, cum ad Peloponnesum classem  
6 appulisset et in fanum venisset Iovis Olympii, aureum ei detraxit  
7 amiculum grandi pondere, quo Iovem ornat e manubiis  
8 Carthaginensium tyrannus Gelo; atque in eo etiam cavillatus est aestate  
9 grave esse aureum amiculum, hieme frigidum; eique laneum pallium

- 10 iniecit, cum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapii  
 11 Epidauri barbam auream demi iussit; neque enim convenire barbatum  
 12 esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset.

*Cicero, De natura deorum 3.83*

*Aantekeningen*

- regel 1 **dico** spreken  
**Locris** in Locri (*stad in Zuid-Italië*)
- regel 2 **Syracusas** naar Syracuse
- regel 4 **homo** *Hiermee wordt Dionysius bedoeld*  
**cum bene planeque percepisset** *Vul aan als lijdend voorwerp: id*
- regel 5 **sententia** opvatting
- regel 6 **ei** *Hiermee wordt het grote cultusbeeld van Jupiter bedoeld, dat bedekt was met een gouden mantel*
- regel 7 **ornarat = ornaverat**
- regel 7-8 **e manubiis Carthaginiensium** uit de opbrengst van de buit die hij behaald had op de Carthagers
- regel 8 **Gelo** Gelo (*een voorganger van Dionysius*)  
**cavillor in** + *ablativus* spottend zeggen over
- regel 10 **ad** + *accusativus* geschikt voor  
**Idemque** Ook
- regel 11 **Epidauri** in Epidaurus (*in deze Griekse stad was een belangrijk heiligdom van de god Aesculapius, een zoon van Apollo; in de tempel stond een groot godenbeeld van Aesculapius*)  
**neque enim convenire** *Lees: dixit enim non convenire*